

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 71. (*Neovidensis* 1806. Nro. 64.)

Ex Campis Elysiis
Colloquium Politicum
vita functorum.

(Elysium -- Meum. -- Die Veneris 22. Augusti 1806 (Neov. 8. Aug))

Colloquentes Personae:

Pax Vestphalica, et nova Germaniae Constitutio.

Pax Vestphalica. — (In Tugurio Charontis) Hic nobis expectandum est, usque dum seni nautae libuerit nos transvehere; Video diversas ex mundo superiore adventare personas. Quae est illa juvenis Matrona?

Nova Constitutio. Venerande senecio! curiosius me circumspicis. Ausim interrogare?

Pax Vestphalia. Venio ex orbe sublunari.

Nova Constitutio. Ego vero gestio superas evadere ad auras. Quod fatum, quisve morbus acceleravit tuum adventum ad fluvium Lethen? Da veniam quaerenti, haec me scire oportet, ut, si illuc pervenero, possim vitare occurrentia ibidem mala.

Pax Vestphalica. Me die 1. Augusti aegrotatio politica enecuit.

Nova Constitutio. Haec res mihi nullam movet admirationem; tanta aetas, quantum attigisse videris, a morte plane non excusat, tritam tenuisti mortalitatis viam.

Pax Vestphalica. Eheu! jam dudum eram decrepita; mea membra — —

Nova Constitutio. Sublato membrorum nexu utique exigua superest spes. Ex debilitate itaque membrorum confecisti vitae curriculum?

Pax Vestphalica. Mea Membra longo jam tempore non cohaerebant cum capite, ego tamen utcumque valui.

Nova Constitutio. Si licet de tuo nomine, de munere, et negotiis ponere quaestionem?

Pax Vestphalica. Pax Vestphalica vocor, hinc facili negotio tibi potes, et meum munus, et occupationes ante oculos ponere.

Nova Constitutio. — (Secum) Superi! Pax Vestphalica! (conversa dein ad illam) mihi tantum Vestphalicae pernae notae sunt, et pulcherrima in optimo Voltaeri mundo Candidi arx.

Pax Vestphalica. O juvenis Domina! apparet, quam parum sis sollicita de gravissimis mundi negotiis. Verum hoc sexui tuo conforme est.

Nova Constitutio. Quapropter edissere, explica mihi, quam gesseris in mundo personam, quid sibi velit tuum nomen cum pace Vestphalica? Forte semper cum unoquoque pacem coluisti?

Pax Vestphalica. Hoc equidem non, at meum nomen maximi momenti res, rarissimasque revocat in memoriam.

Nova Constitutio. — (Intra se: — O miseris, quas ait res!) Expone, quaeso, rem omnem.

Pax Vestphalica. Quam multae, quam notabiles excitantur ideae ad talem declarationem. Pax Vestphalica est singulare specimen humanae sapientiae, et politicae Europaeae, illa est maxime solennis tractatus omnium tractatum, qui aliquando facti sunt. Numerus, et dignitas contrahentium, diversitas, et gravitas politicorum negotiorum, quies, et tranquillitas tam multis populis conciliata, determinata principia omnium ferme Gentium in Europa — sunt totidem argumenta, quae hunc tractatum absolvunt. Dicta est tabulae germanici montis Sinai, fundamentum Politices, indubitatum omnium futurorum tractatum principium, et codex fundamentalium prudentiae civilis legum, quas denominateonem possum ex statisticis comprobare voluminibus.

Nova Constitutio. Haec omnino splendida sunt vocabula, sed non semper conveniebant rebus, de quibus praedicabantur.

Pax Vestphalica. Quid ita?

Nova Constitutio. Quantum audivi, senex Vestphale! illa tantum non favebant, quantum ea extollis. Profecto oportuit Nationem Germanam nimium patientem fuisse, quae

istum tractatum tam longo tempore pro norma habuit. Ille voluit contra naturam, et rationem populare systema inducere; id est: mobilitatem firmam reddere, et dissidia in ordinem redigere. Tractatus, ad quem debiliores semper frustra provocarunt, fortiores autem impune transgressi sunt; tractatus, qui Germanicum Imperium nec contra suos vicinos, nec contra Imperii ordines taceri poterat; qui nulla emolumenta, quae sponte viderat, procuravit, et qui, licet conservare debuisset politicum aequilibrium, ipse tamen in sinum suum introduxit politicum *indifferentium*. Ita auribus percepi, ita in pluribus legi libris.

Pax Westphalica. Tractatus, qui tantam tulit aetatem, se ipsum commendet.

Nova Constitutio. Quantum mihi innotuit, iste tractatus habuit Monarchicam formam, sed non Monarchicam unitatem, qua de causa ejus Constitutio cum Gallica comparari non potest, quae pulcherrima unitate praedita, eandem Germaniae opposuit. Admitto quidem ejus constitutionem bonam fuisse, sed bonum non excludit melius, imo bonum comparate ad majus, malum est, semper enim majus bonum minori praefendum venit. Prudentia civilis, uti Religio certis nititur principiis, seu dogmatibus, quae praeteriri nequeunt. Morum doctrina potest mores, et modum agendi singularium moderari, at dogma solum format unionem totius societatis. Pax Westpha-

lica politicos mores, vel politicum agendi modum singularium, earumque potentiorum personarum gubernavit, ast destituta unitate dogmatis, consensum Germanorum non effecit. Quare existimo, tabulas germanici montis Sinai, ut germanicam Constitutionem compellas, ex valde fragilibus constituisse lapidibus, ad primum enim ictum fractae sunt.

Pax Vestphalica. Juvenis Matrona! miror tuam perspicaciam; Multa tibi narrata sunt, quae alte menti impressisti; Pace tua sciscitor, quorsum suscepisti iter?

Nova Constitutio. In Germaniam.

Pax Vestphalica. Ergo in meam patriam? O quantam ibi reperies rerum mutationem!

Nova Constitutio. Facile mente concipio, cum tu patriam tuam dereliqueris.

Pax Vestphalica. Dicito potius, me derelinquere debuisse. Legistine documenta, quae meum interitum maturarunt, et quae Ratisbonae 1. Augusti in lucem publicam edita sunt?

Nova Constitutio. In manibus ea habeo, illa meum iter in Germaniam necessarium fecere.

Pax Vestphalica. (secum ipsa: peculiaris juvenis mulier) si integrum est percontari, quae nam negotia te vocant in Germaniam?

Nova Constitutio. Eadem ipsa Acta, quae te solum vertere coegerunt.

Pax Vestphalica. (Intra se: adhuc majus aenigma) Absit a me curiositas, dicito, amabo, quod tibi nomen?

Nova Constitutio. Divina.

Pax Vestphalica? Forsitan es nuncia pacis?

Nova Constitutio. Multo plus, secus profisciscerem in Angliam.

Pax Vestphalica. (aliquantum meditatur) non tamen Bellona, vel Minerva?

Nova Constitutio. Nihil horum. Vado in Germaniam — vaticinare tantum!

Pax Vestphalica. Utique in summi momenti negotiis; quid dicam, nescio.

Nova Constitutio. Audi itaque, annis provecta Domina! audi benevole, et noli indignari: Contendo in Germaniam, et, quod probe animadvertendum, non Ratisbonam, sed Francofurtum ad Maenum, ad occupandam tuam stationem.

Pax Vestphalica. (Conterrita regreditur) Quid tu Rhenana confederatio, quae meros complectitur viros? Nunc intelligo, quid tuam audire denotaverit, nunc mihi patent omnia. Quae ergo erit in futurum rerum facies?

Nova Constitutio. Ut perspectum habes, Comitia Imperii ab anno 1654 Ratisbonae celebrata cessant. Germania quoque imperium non erit per se subsistens Regnum, sed abit in tres partes: in Austriacam, et Borussicam Monarchiam, atque Rhenanam confederationem, ex reliquis independentibus Germaniae statibus compositam sub patrocinio Galliae. Hinc nulla est amplius Austriae, et Borussiae auctoritas in Germania, adeoque finem habet etiam aemulatio. Pia-

cetne tibi hæc Constitutio? Persvasum habe, ex hac dispositione majora redundatura in Germaniam emolumenta, atque ex tua pace Vestphalica quam jam dudum eruditus Puffendorfius *confusionem divinitus conservatam* nominavit.

Pax Vestphalica. Aquiesco divinae voluntati. Dicito meis probis Germanis, te mihi obviam esse factam, et mecum collocutam. Describe illis meum dolorem, et aegrimoniam, qua amantissimos mihi populares deserere debui. Discessus meus ita ex improvise accidit, ut vix nacta sim tempus ad eum ordinandum. Majorem in modum tibi commendando hunc bonum, honestum, et aperti animi populum; Ille se accommodabit huic constitutioni. Sine dubio novus rerum ordo inducetur, qui aliquanto tempore tristem refricabit memoriam. Quod animum meum graviter pervellit, est: Juris publici Germanici Doctores, hos mei Panthei praetorianos, qui de me insigniter meriti sunt, manum a tabula remoturos, omniaque eorum vastissima volumina, et lucubrationes perpetuis tenebris esse involvenda. Vale, et benigne age cum populo. Ah! (lachrymatur) O mem patriam!

Nova Constitutio. (Secum ipsa: miseror illius fortunam.) Bene vertat iter in aeternitatem!

In eadem hac Officina Belnayana sequentes,
præter complures alios, libri venales
prostant :

Okos Gyermekek nevelés példája. A' köz-nép
hasznára, mellyben rövid-den előadatik,
miképpen kell a' Gyermekeket születések
napjától fogva, mind testi, mind erkölcsi
tulajdonságaikra nézve hasznosann és oko-
sann nevelni, Falusi Mihály által. 8. 1805.
48 kr.

Wieland, Téli Rege. 8. Posonyban 1804.
20 kr.

Benitzky, Magyar Bithmusok, új Ki - adás.
1803. 8. 24 kr.

Hertzeg Piripionak tündér története, Wie-
land után írta Magyar Földjeinek mulat-
tatására Fellegváry Ágoston. 8. 1804.
36 xr.

Gazdagsági oktatás arról, hogy miképpen
kell és lehet a' Német és Spanyol Lóherét
Magyar országban legjobb moddal és leg-
nagyobb haszonnal természetni, és mind
a' kettőnek a magvát bőséggel szaporítani
Posonyban 1805. 8. vo 10 xr.

Cétsényi Svastics Ignátz Magyarok' Histo-
riája, három rézre metszett képekkel
III. T. maj. 8. 1805. 5 fl.

Diarium Comitiorum 1805. cum Adis &c.
Latine, & Hung. 2 fl. 30 xr.

Gubernath, Institutiones Linguae & Litteraturæ
Hungaricæ cum Phrasologia, & Syntaxi ornata.
1803. 8. Tomi II. 2 fl. in charta scriptoria 3 fl.